



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

L. Annæi Senecæ De Ira Ad Novatvm Liber Primvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

# L. ANNÆI SENECAE DE IRA AD NOVATVM LIBER PRIMVS.

## ARGVMENTVM ET ORDO.

**B** LIBRI De Ira scripti inter Philosophia primos videntur, certè inter eos quos habemus. Suspicamur ex verbis Seneca, lib. III. cap. XVIII. Modò C. Cæsar Sex. Papinium, cui pater erat consularis, Belienum Bassum Quæstorem suum, flagellis cecidit. Ait, modò: iam nunc recenti factò. Imò ipso Caligulâ viuo, è Cap. sequenti: Quod tanto opere admiraris, isti belluæ cottidianum est: ad hoc viuit, ad hoc vigilat, ad hoc lucubrat. Sanè hac omnia de homine qui est, non qui fuit. Scripsit tunc igitur: sed non edidit (melior illi mens) et si statim, opinor, ab eius morte.

Argumentum est, quod titulus presert, De Ira noscendâ, & deinde fugiendâ. Primus liber habet itaque descriptionem eius, & sædum habitum iratorum ac faciem. tum definitiones; tum questiones, An in solum hominem cadat? asserit. An secundùm naturam sit? negat, cum Stoicis. An utilis sit, presertim temperata? id quoque negat, & contra Peripateticos variè disputat. non acui animum ab eâ aut robur: ne malis quidem irascendum esse, nec in cede patris, rapta matris: tuendum tamen, & vindicandum. Denique non magni, sed imbecillis animi hanc notam esse. Libri in partibus pulchri & eminentes sunt, in toto parùm distincti, & repetitionibus aut digestionibus confusi.

## CAPVT PRIMVM.

**D** REGISTI à me, \* Nouate, vt scriberem quemadmodum posset ira leniri: nec immeritò mihi videris hunc præcipuè affectum pertimuisse, maximè ex omnibus tætrum ac rabidum. Ceteris enim aliquid quieti placidique inest; hic totus concitatus, & in impetu doloris est: armorum, sanguinis, suppliciorum, minimè humanâ feruens cupiditate: dum alteri noceat, sui negligens; in ipsa irruens tela, & vltionis secum multa tracturæ audis. Quidam itaque è sapientibus viris iram dixerunt breuem insaniam. æquè enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi consiliisque præclusa, vanis agitata caussis, ad dispectum æqui veri que inhabilis, ruinis sumillima, quæ super id quod oppressere, franguntur. Vt autem scias non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum

hab-

## COMMENTARIVS.

**C** AP. I. I. NOVATE.] Frater eius fuit, qui postea Iunius Gallio per adoptionem. Et hoc quoque argumentum aliquod matura scriptio.

2. FERVENS.] Scripti, furens.

3. MVLTÀ TRACT.] Mureti hoc est, nec spernam, nisi libri voce insertâ scribant: multam rem tractate. ex quo velim: secum vltima rerum tracturæ.

ipsam mortem, suam vel alienam.

4. BREVEM INSAN.] Desinit ita Themistius, ὀργὴν, μανίαν ὀλίγο χρόνῳ. Cato Priscus eâ mente, Iratum ab insano non, nisi tempore, distare. Philemon poeta:

Μανόμεθα πάντες, ὀπίσταν ὀργὴν ἀμείβει:

Insania omnes nos habet, cum irascimur.

Quid alius Græcus? τίς δὲ ὀδυμίας τὸ ἄνθος, μανίαν: Ira florem, insaniam.

A

5. HABI-

habitu intueri. Nam ut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exastuante ab imis præcordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipos torquentium sonus, gemitus mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens, fœda visu & horrenda facies deprauantium se, atque intumescantium. Nescias, vitrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Cetera licet abscondere, & in abdito alere: ira se profert, & in faciem exit: quantoque maior est, hoc effertur manifestius. Non vides, ut omnium animalium, simul ad nocendum insurrexerunt, procurrant notæ, ac tota corpora solitum quietumque egrediantur habitum, & feritatem suam exasperent? Spumant apri ora, dentes acuuntur attritu: tauro-rum cornua iactantur in vacuum, & arena pulsu pedum spargitur: leones fremunt, instantur iratis colla serpentibus, rabidarum canum tristis aspectus est. Nullum est animal tam horrendum, tamque perniciosum naturâ, ut non appareat in illo, ubi irauasit, noua feritatis accessio. Nec ignoro, ceteros quoque affectus vix occultari, libidinem, metumque, & audaciam dare sui signa, & posse prænosci. neque enim vlla vehementior intra cogitatio est, quæ nihil moueat in vultu. Quid ergo interest? quod alij

CAP. II. affectus apparent, hic eminet. Iam verò si effectus eius damnaque intueri velis, I I. nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes ac venena, & reorum mutuas sordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & principum sub <sup>10</sup> ciuili hastâ capita venalia, & subiectas tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flammâ relucentia. Aspice nobilissimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. aspice solitudines per multa millia sine habitatione desertas: has ira exhaustit. aspice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati. alium ira in cubili suo confodit; alium inter sacra mensæ ira percussit; alium <sup>11</sup> inter leges celebrisque spectaculum fori lancinavit; alium filij patricidio dare sanguinem iussit; alium seruili manu regalem aperire iugulum; alium in cruce membra <sup>12</sup> diuidere. Et adhuc singulorum supplicia narro. quin si tibi libuerit, relictis in quos ira vixit exarsit, aspicere <sup>13</sup> cæfas gladio conciones, & plebem immisso milite contrucidatam, & in perniciem promiscuam <sup>14</sup> totos populos capitis damna passos, <sup>15</sup> tanquam aut curam nostram <sup>16</sup> deserentibus,

5. HABITUM.] Hic describit, iteratque lib. II. cap. xxxv. lib. III. cap. III. & IIII. ubique diffusè, & cur toties?

6. MICANT.] Ne muta. Lucretius, de irato: & ex oculis micat acibus ardor. Homerus, de Agamemnone: -- ὄσσι δ' ἐοίησι δαμπερόωντι ἔϊετ' -- rutilam referebant lumina flammam. Causâ huius ardoris in Aristot. Probl. Sectione xxxi.

7. ARTICULORVM.] Petronius: Manibus intet se, vsque ad articulorum strepitum, contritis. Adde infra lib. III. cap. IIII.

8. MAGNASQUE MINAS.] Libri veteres: magnasque iræ minas. An, magnasque intrâ minas?

CAP. II. 9. MUTUAS SORDES.] Qui accusant inuicem, & accusantur.

10. CIVILI HASTA.] Sulle, & Triumvirorum.

11. INTER LEGES.] Nescio an ad Afellionem Praetorem ad spectum, quem ius non pro ipsis dicentem, facinoratores in foro occiderunt. Appianus 1. Ciuil.

12. DIUIDERE.] Alij diffindere: meus, distendere. Placeat, sed ita ut in cruce tum legam.

13. CÆSAS GLAD.] Ad Sullanam scuitiam, qui legiones inermes ita cecidit: vel ad tribunicios furores.

14. TOTOS POPULOS.] Ut Sulla Prænestinos, Spoletinos, Interamnates, & municipia plura damnavit.

15. TANQVAM AVT.] Non harent prioribus, & lacuna est ingens. Fuere hic definitiones Ira, quas ita explicat, ut que opponi solerent, adducat. Nam eò hæc & sequentia spectant. Resarcire in parte fas è Lactantij de Irâ Dei: Definitiones, inquit, Iræ Seneca enumeravit in libris, quos De Irâ composuit. Ira est, inquit, cupiditas vlciscendæ iniuriæ. Alij, ut Posidonius, cupiditas puniendi eius, à quo te iniquè putes læsum. Quidam ita definiunt, Ira est incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit. Istis ipsa hic fuere, sed & plura.

16. DESERENTIBVS.] Scripti voce immisâ, diis deserentibus. & rectè, si de Prouidentia hic dictum. Quod tamen non opinor, & magis responsum obiectionibus, quæ aduersus illam partem erant, de iniuriâ, aut læsione. Nam, aiebant, si ab iniuriâ ira: quid ita histroni aut ludio irascimur neglegentius agenti? cur gladiatori, tardè pereunti aut peridenti? Aiebat, speciem hic iniuriæ esse: quia tales aut curam nostram & intentionem deserunt, vel contemnunt

aucto-

A tibus, aut auctoritatem contemnentibus. Quid <sup>17</sup> gladiatoribus, quare populus irascitur, & tam iniquè, ut iniuriam putet, quod non libenter <sup>18</sup> pereunt? contemni se iudicat, & vultu, gestu, ardore, de spectatore in aduersarium vertitur. Quicquid est, certè non est ira, sed quasi ira: sicut puerorum, qui si ceciderunt, terram verberari volunt, & sæpè ne sciunt quidem, cui irascantur, sed tantùm irascuntur sine causâ & sine iniuriâ, non tamen sine aliquâ iniuriæ specie, nec sine aliquâ pœnæ cupiditate. Deluduntur itaq; imitatione plagarum, & simulatis deprecantium lacrymis placantur, & falsâ vltione falsus dolor tollitur.

Irafcimur, inquit, sæpè non illis qui læserunt, sed his qui <sup>19</sup> læsuri sunt: ut scias iram non tantùm ex iniuriâ nasci. Verum est, irasci nos læsuris: sed ipsâ cogitatione nos lædunt, & iniuriam qui facturus est, iam facit. Ut scias, inquit, non esse iram <sup>20</sup> pœnæ cupiditatem, infirmissimi sæpè <sup>21</sup> potentissimis irascuntur: nec pœnam concupiscunt, quam non sperant. Primum <sup>22</sup> diximus, iram cupiditatem esse pœnæ exigendæ, non facultatem: concupiscunt autem homines, & quæ non possunt. Deinde nemo tam humilis est, qui pœnam vel summi hominis sperare non possit. ad nocendum potentes sumus. <sup>23</sup> Aristotelis <sup>24</sup> finitio non multum à nostrâ abest. ait enim, Iram esse cupiditatem doloris <sup>25</sup> reponendi. Quid inter nostram & hanc finitionem interfit, exsequi longum est. contra vtramque dicitur, feras irasci, nec iniuriâ irritatas, nec pœnæ dolorisve alieni causâ. Nam etiam si hoc efficiunt, non hoc <sup>26</sup> petunt. Sed dicendum est, feras <sup>27</sup> irâ carere, & omnia præter hominem. Nam cum sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur, nisi vbi rationi locus est. Impetus habent feræ, rabiem, feritatem, incursum: iram quidem non magis, quàm luxuriam. Et in quasdam voluptates intemperantiores homine sunt. Non est quod credas illi qui dicit,

*Non aper irasci meminit, non fidere cursu*

*Cerua, nec armentis incurrere fortibus urfi.*

Irafcidit, incitari, impingi. Irafcid quidem non magis sciunt, quàm ignoscere. Muta animalia humanis affectibus carent: habent autem similes illis quosdam impulsus. Alio- qui si amor in illis esset, & odium esset, si amicitia, & similtas; si dissensio, & concordia; quorum aliqua in illis quoque existant vestigia: ceterùm, humanorum pectorum propria bona malaque sunt. Nulli nisi homini concessa prudentia est, diligentia, cogitatio: nec tantùm virtutibus humanis animalia, sed etiam vitiis prohibita sunt. Tota illorû ut extrâ, ita intrâ, forma humanæ dissimilis est. <sup>28</sup> Regium illud & principale parum subtile, parum exactum: ut vox est quidem, sed non explanabilis, perturbata, & inefficax: ut lingua, sed deuincta, nec in motus varios soluta. Caput ergo <sup>29</sup> visus speciesque rerum, quibus ad impetus euocetur, sed turbidas, & confusas. Ex eo procurfus illarum tumul-

auctoritatem. Sed quod ad ipsas finitiones, sunt Stoici, & in Zenone Diogenes totidem serè verbis: Οργή, ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ δοκούντος ἢ ἀννάτας οὐ προσκόντως: Cicero veritè 1111. Tuscul. Ira est libido puniendi eius, qui læsisse videatur iniuriâ.

D 17. GLADIATORIBVS.] Super hoc affectu Senecam vide epist. VII. item de Tranquil. cap. XI. nostra Saturnalia, lib. II. cap. XXII.

18. PEREUNT.] Meus, perimunt. & restum utrumuis. Lactantius: Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus est.

CAP. III. 19. LÆSVRI SVNT.] Contra illam Posidonij definitionis partem, à quo te putes læsum.

20. PŒNÆ CUPID.] Contra eandem primis verbis.

21. POTENTISSIMIS.] Negat Aristoteles, aut temperat, 1. Rhetor. ad Theod. cap. XI. Vide.

22. DIXIMVS.] Nempe in iis, quæ è Lactantio reponimus.

23. ARISTOTELIS.] Hæc ipsa transcripsit idem ille Lactantius, libro dicto.

24. FINITIO.] Quam habes 1. De animâ, cap. 1. Phyliscus, inquit, Iram definit, ὄρεξιν ἀντιδρωτικῶς: cupidinem doloris reponendi. Sed hoc ibi obiter, & in alieno argumento, ex professo 1. Rhet. ad Theod. cap. 11. Ἐστὼ δὲ ἡ ὄργη, ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, εἰς αὐτὴν τῶν προσκόντων: Esto Ira cupiditas cum dolore apparentis vltionis, propter apparentem in se vel in suos contemptum.

25. REPONENDI.] In Lactantio legitur, reponendi.

26. PETUNT.] Finis earum non est, ut ego doleam puniârve.

27. IRA CARERE.] Stoici affectus amouent à feris, & relinquunt quasi affectus. πᾶθος enim, esse auersionem à ratione: vbi ergo non ea, proprie nec illud. Quin tamen impetus habeant affectuum similes, non negant. Vide Manuduct. III. Diff. VII.

28. REGIVM.] τὸ ἡγεμονικόν, ut Græci dicunt.

29. VISVS SPEC.] φαντασίας.

tumultuosus; vehementes sunt: metus autem, sollicitudinesque, & tristitia, & ira non sunt, A sed his quaedam similia. Ideo citò cadunt, mutantur in contrarium, & cum acerrimè sa-

III.

porque sequitur. Quid esset ira, satis explicatum est: quo distet <sup>30</sup> ab iracundiâ, apparet: quo ebrius ab ebrioso, & timens à timido. Iratus potest non esse iracundus: iracundus potest aliquando iratus non esse. Cetera, quæ pluribus <sup>31</sup> apud Græcos nominibus in species iram distinguunt, quia apud nos vocabula sua non habent, præteribo: etiam si <sup>32</sup> amarum nos, acerbumque dicimus, nec minus <sup>33</sup> stomachosum, rabiosum, clamosum, <sup>34</sup> difficilem, asperum: quæ omnia irarum differentia sunt. Inter hos morosum ponas licet, <sup>35</sup> delicatum iracundiæ genus. Quædam enim sunt iræ, quæ <sup>36</sup> intra clamorem <sup>37</sup> confidunt; quædam non minùs pertinaces, quàm frequentes; quædam <sup>38</sup> seuæ manu, verbis parciores; quædam in verborum maledictorumque amaritudinem effusæ; quædam ultra querelas & <sup>39</sup> auersationes non exeunt; quædam <sup>40</sup> alte

gra-B

CAP. III. 30. AB IRACUNDIA.] Suetonius Claudij cap. xxxviii. Ira: atque Iracundiæ conficius sibi, vtramque excusauit edicto, distinxitque: pollicitus, alteram quidem (Iram) breuem & innoxiam; alteram (Iracundiam) non iniustam fore. Paullò aliter quam Seneca & alij, Iracundiam longam iram facit, & quasi Odium. Nam ita hæc duo Valerius discriminat, lib. ix. Ira quoque & odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant: proculsū celerior illa, nocendi cupidine hoc pertinacius. Et ira inueterata, est Odium. Omnino tamen proprie, Iracundia est ὄργιλος, id est propensio & habitus quidam ad iram: vt hic Seneca, & Cicero in Tusculanâ: In alijs Iracundia dicitur, quæ ab Irâ differt, vt Anxietas ab Angore. Neque enim omnes sunt anxij, qui anguntur aliquando: neque anxij semper anguntur. vt inter Ebrietatem & Ebriositatem interest, aliudque est esse Amato-rem, aliud Amantem. Hæc ille. at ego opportunè & Stoicis ipsi specie & discrimina dixerim huius affectus. Distinguntur scilicet ὄργη, μίσος, ὀψών, φιλονικία, θυμός. Ὄργη siue Ira, iam supra definita est: at μίσος siue Odium est iis, ἐπιθυμία τις τοῦ κακῶς εἶναι τινί, μετὰ ὑποκρίσεως καὶ παρατάσεως: cupiditas quædam vt male sit alteri, cum progressu aliquo & incremento. μίσος siue Iracundia (exemplo Claudij: nam Latinum nomen non suppetit aliud) ὄργη πικρῶ αἰσθημένη καὶ ἐπιήκοτος, ἐπιτηρητική δὲ: est ira inueterata & plena odij, obseruans vltionis tempus. Iam φιλονικία siue Contentio, ἐπιθυμία τις περί αἰρέσεων: cupiditas quædam circa opinio-nes tuendas. Denique θυμός, Excandescencia, ἐστὶν ὄργη ἀρχομένη: est ira incipiens & nascens. Sed ad Senecam iterum: etsi hæc toti rei explicanda.

31. APVD GRÆCOS.] In Aristotele in Ethic. Nicom. cap. v. quædam exstant.

32. AMARVM.] Quem Græci πικρῶ. Describuntur ab Aristotele: οἱ δὲ ἀπὸ δυοδ ἰάλυτοι καὶ πολλὸν χρόνον ὄργιζονται κατὶ ἁμαρτημάτων θυμῶν. Παύλα δὲ γίνεται, όταν ἀνταποδιδῶσιν. Amari vel acerbici dicuntur, quorum ira solui difficilis, & diu irascuntur, atque eam continent. Fit autem pausa, cum reposuerint, fuerintque vlti.

33. STOMACHOSVM.] Cadit in genus, quos Acropolis idem ille Philosophus dicit, & describit. Ὀπιεβολὴ δὲ εἰσὶν οἱ ἀκρόβολοι οὕτως, καὶ ὄρε παρ' ὄργιλοι, καὶ ἐπὶ σπανί, ἕσσον ἐπὶ τῷ σωματι: In excessu sunt ad

iram mobiles, qui Acrocholi dicuntur, in omnia, in omnibus. vnde & ab extremitate is nomen.

34. DIFFICILEM.] Ipso Græco verbo, χαλεπὴ Aristoteles. Describit: Χαλεπὸς δὲ λέγεται τὰς ἐφ' οἷς τε μὴ δὲ χαλεπαίνουσας καὶ μάλλον ἢ δὲ ἐκὼν χρόνον, καὶ μὴ διαλαττομένους ἀνετιμωρίας ἢ κολασσεως: Difficiles dicimus, qui nec ob quæ oportet, & plus quàm oportet, & diutius exasperantur: neque mingantur sine vltione aut penâ.

35. DELICATVM.] Nam morosi sunt, qui exactè nimis omnia fieri, dicit, exposcunt: quibusq; agrè est placere & satisfacere. Proprie δὲ ὑσάρησοι.

36. INTRA CLAM.] Non ultra exeunt, statim incallescunt, statim refrigerantur & desinunt. Ὀργίλος Aristoteles appellat. Horatius talem se fatetur, Irasci facilem, tamen vt placabilis esset.

37. CONSIDANT.] Aliàs, concidant: pariter bene.

38. SEUÆ MANV.] Ad rem citius, quàm ad verba veniunt. Nec mutemur: etsi meus tamen, quædam sine motu. Quod esset placida & tacta quædam ira, intra animi penetralia clausa.

39. AVERSATIONES.] Scripti, aduersationes: bono etiam sensu. Litigant, & aliquid aduersantur: tum placantur.

40. ALTÆ GRAVESQUE.] Illa verò pessime. Lentè concipiunt ignem, lentè seruant: & idem ille sub cinere tectus fallit, nec comparet nisi cum adurit. Viris naturisq; grauius sepe talis affectus, quem Lucretius in Romanis expressit, lib. xxi. Quò lenius agunt, segnius incipiunt, eò cum ceperint, vereor vt persecrantius seuiant. Arrianus de iisdem: μεγάθυμοι σπείως εισίτητες, ἡσυχὴ καὶ οἷον ἀόργητως ἀράττορες. ὅσα καὶ οἱ σφόδρα τὰ θυμῷ σερμαῖνοι. Φυλακτικὸν ἦν καὶ τὸ τέτων ἀλέπημα, ὡς πολὺ χεῖρον ἢ τὰ διατηρωτικὰ ὄργιλας. ἔτοι μὲν γὰρ ταχὺ λόρον τῆς τιμωρίας λαμβάνουσιν οἱ δὲ, εἰς μακρὸν παρατήνουσιν, ὡς οἱ λεπτότεροι ἀράττορες: Sunt quidam leniter magnanimi, placidè & tanquam sine irâ omnia facientes, quæ etiam maxime excandescentes solent. Obseruanda igitur & cauenda hæc istorum remissio. vt quæ multò deterior sit, quàm ira magno nisu intensa. Ista enim statim vltione aliqua fatiantur; at illa in longum extenditur, non aliter quàm ij qui lentâ febriculâ vexantur.

41. ET

A gravesque sunt, <sup>41</sup> & introrsus versæ. Mille aliæ species sunt mali multiplicis. \*

\*

V.

<sup>42</sup> Quid esset ira, quæ situm est: an in vllum aliud animal, quàm in hominem caderet: quo ab iracundiâ distaret, & quæ eius species sint: nunc quæramus, an ira <sup>43</sup> secundum naturam sit, & an utilis, atque ex aliquâ parte retinenda. An secundum naturam sit, manifestum erit, si hominem inspexerimus: quo quid est mitius, dum in recto animi habitu est? quid autem irâ crudelius est? Homine quid aliorum amantius? quid irâ infestius? Homo in adiutorium mutuum generatus est: ira in exitium. Hic congregari vult, illa discedere: hic prodesse, illa nocere: hic etiam ignotis succurrere, illa etiam carissimos petere: hic aliorum commodis vel <sup>44</sup> impendere se paratus est: ira in periculum, dummodò deducat, descendere. Quis ergo magis naturam rerum ignorat, quàm qui <sup>45</sup> optimo eius operi & commendatissimo, hoc ferum ac perniciosum vitium assignat? Ira, ut diximus, auida pœnæ est: cuius cupidinem inesse pacatissimo hominis pectori, minime secundum eius naturam est. Beneficiis enim humana vita consistit, & concordia: nec B terrore, sed mutuo amore, in fœdus auxiliumque commune constringitur. Quid ergo? non aliquando castigatio necessaria est? Quid ni? sed hæc <sup>46</sup> sincera, cum ratione. non enim nocet, sed medetur specie nocendi. Quemadmodum quædam hastilia detorta, ut corrigamus, adurimus, & adactis cuneis, non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus: sic ingenia vitio praua, dolore corporis animique corrigimus. Nempe medicus primò in leuibis vitiis tentat non multum ex quotidianâ consuetudine inflectere, & cibis, portionibus, exercitationibus ordinem potere, ac valetudinem tantum mutatâ vitæ dispositione firmare: <sup>47</sup> proximum est, ut modus proficiat. Si modus & ordo non proficit, subducit aliqua, & circumcidit. si ne adhuc quidem respondet, interdicit cibis, & abstinentiâ corpus exonerat. si frustra molliora cesserunt, ferit venam, membrisque, si adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert: nec vlla dura videtur curatio, cuius salutaris effectus est. Ita legum præsidem, ciuitatisque rectorem decet, quamdiu potest, verbis, & his mollioribus, ingenia curare, ut facienda suadeat, cupiditatemque honesti & æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, præiium virtutum: transeat deinde ad tristorem orationem, quâ moneat adhuc & exprobrat: nouissimè ad pœnas, & has adhuc leues & reuocabiles decurrat: vltima supplicia sceleribus vltimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire etiam <sup>48</sup> pereuntis intersit. Hoc vno medentibus C erit dissimilis, quòd illi quibus vitam non potuerunt largiri, <sup>49</sup> facilem exitum præstant: hic, damnatum cum dedecore & <sup>50</sup> traductione, vitâ exigit. non, quia delectetur vllius pœnâ (procul est enim à sapiente tam inhumana feritas) sed ut documentum omnium sint,

VI.

fint,

41. ET INTRORSVS. ] *Qui, ut Tacitus ait de Domitiano, secreto suo satiati, reponunt odia. quorum ira quò obscurior, eò irruocabilior. Talis illa Phylis in Melanthium, apud Homerum, Odyss. 7.*

*Αλλ' οὐδὲν αἰνῶν ἀδῖπν, κακὰ βουκόδοι κούω.*

Sed tacitus mouit caput, & mala mente parabat.

D *Talis Tiberij, de quo Tacitus IIII. Annal. In animo reuolvente iras, etiam si impetus offensionis elanguerat, valebat memoria.*

CAP. V. 42. QUID ESSET. ] *Ego miror hanc præproperam ἀνασφάλαιον & dictorum repetitionem: sanè præter rem & Senecæ morem. Paucis lineis hæc dicta, aut perstricta potius: quid recolligis, quasi ex materiâ largâ & latè sparsâ? Falli possum, sed incidit, mutilata hæc esse, & in partibus parum plena.*

43. SECUNDVM NAT. ] *Quæ Aristotelis est clara sententia, lib. VII. Ethic. Nicom. cap. VI. Asserit ibi, Incontinentiam iræ minis fœdam malamque esse, quàm aliarum cupiditatum. & argumentum, ut firmum, capit, quòd Ira inter ὀρέξαις πορνιᾶς, appetitiones naturales sit, & magis talis, quàm ceteræ:*

eoque venia magis digna. Hunc igitur, & affeclæ, nunc refutat.

44. IMPENDERE. ] *Totum se dare, atque adeò perdere.*

45. OPTIMO. ] *Homini.*

46. SINCERA. ] *Cui cupiditas non immixta.*

47. PROXIMUM EST. ] *Verba subobscura, & quæ quibusdam visa (quinque dico proxima) superfluere. At examinanti mihi, aliter. Dicit, primum opus medici esse ordinem cibi, potus, exercitij leuiter disponere, & ad horas suas aptare, si nec id proficit, in modo mutare, id est, qualitate & genere istorum. tales cibos, tales potus præscribere. Tertium, subducere & minuere in cibis: quartum etiam ieiunium indicare, & eo corpus deplere. Quintum denique, sectio. Hæc ipsa mox ita ordine accommodat, in alterâ similitudinis & sequenti parte.*

48. PEREUNTIS. ] *Ne in nequitia diutius hæreat, & quo vno modo potest, desinat malus esse.*

CAP. VI. 49. FACILEM EXITVM. ] *Vno verbo, ἐὺ θάνατον.*

50. TRADUCTIONE. ] *Publicâ ostensione: ad exemplum scilicet, quò supplicia spectant. Per*

fint; & qui viui noluerunt prodesse, morte certè eorum respublica vtatur. Non est ergo A natura hominis pœnæ appetens: & idè nec ira quidem secundùm naturam hominis, quia pœnæ appetens est. Et <sup>52</sup> Platonis argumentum adferam: quid enim prohibet alienis vti, ex parte quâ <sup>52</sup> nostra sunt? Vir bonus, inquit, non lædit. pœna lædit. bono ergo pœna non conuenit: ob hoc nec ira: quia pœna iræ conuenit. Si vir bonus pœnâ non gaudet, non gaudebit nec eo quidem affectu, cui pœna voluptati est: ergo non est natu-

VII.

ralis ira. Numquid, quamuis non sit naturalis ira, assumenda est, quia <sup>53</sup> vtilis fæpe fuit? Extollit animos, & incitat: nec quicquam sine illâ magnificum in bello fortitudo gerit, nisi <sup>54</sup> hinc flamma subdita est, & hic stimulus peragitauit, misitque in pericula audaces. Optimum itaque quidam putant, <sup>55</sup> temperare iram, non tollere: eoque detracto quod exundat, ad salutarem modum cogere: id verò retinere, sine quo languebit actio, & vis, ac vigor animi resoluatur. Primum, facilius est excludere perniciofa, quàm regere: & non admittere, quàm admissa moderari. nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minuere patiuntur. Deinde, ratio ipsa, cui frangi B traduntur, tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus: si miscuit se illis, & inquinauit, non potest continere, quos submouere potuisset. Commota enim semel & concussa mens, ei seruit, à quo impellitur. Quarumdam rerum initia in nostrâ potestate sunt: vltiora nos suâ vi rapiunt, nec regressum relinquunt. Vt <sup>56</sup> in præceptis datis corporibus nullum sui arbitrium est, nec resistere morarive deiecta potuerunt, sed consilium omne & pœnitentiam irreuocabilis præcipitatio abscedit, & non licet eò non peruenire, quò non ire licuisset: ita animus, si in iram, amorem, aliosque se proiecit affectus, non permittitur reprimere impetum. rapiat illum oportet, & ad inuicem agat suum pondus, & vitiorum natura procliuis.

VIII.

Optimum est, primum irritamentum iræ proptinus spernere, ipsisque repugnare <sup>57</sup> seminibus, & dare operam ne incidamus in iram. nam si cœperit ferre transuersos, difficilis ad salutem recursus est. Quoniam nihil ratio-

nis

theatra. per fora traditi solent, & dixi de Benef.

51. PLATONIS. ] Vbi hoc, nescio.  
52. NOSTRA SVNT. ] Nobiscum faciunt. dogmata nostra asserunt.

CAP. VII. 53. UTILIS. ] Et hec pars contra Aristotelem, sed & Platonem: qui vbiq; iram laudant, vt fortitudinem administrant. Plato 11. de Rep. Custodem sumi, quem tueri patriam vult, corpore robustum esse, animo iracundum cepit. atque addit: *ωδύς δ' ἔσ' ἀνδρείος δὲ εἶναι ἄρα ἐδιδόκει ὁ μὴ θυμοειδὴς, ἢ τε ἵππος, ἢ τε κύνες, ἢ ἄλλο ὅτιοῦν ζῶον, ἢ καὶ ἐννεόπικας, ὡς ἀμαζόνες τε καὶ ἀνίκτων θυμῶς, οὐ παρίσταντο, ἀλλὰ πᾶσα ἄφοδος πάντα ἀφοδός τε καὶ ἀήτητος.* Et quomodo non? fortissime erit vnquam non iracundus, siue equus, siue canis, siue aliud quodcumque animal? aut non obseruasti, quàm inuictum quiddam atque insuperabile sit Ira? que cum adest, omnis animus ad omnia intrepidus est, & vinci nescius. Sed & alibi laudat: Aristoteles quid? vt alia emittam, 111. Ethic. Nicom. cap. viii. sunt ista. *Ἀνδρείοι γὰρ εἶναι δὲ οὐδὲ καὶ οἱ δὲ θυμῶν, ὡσπερ τὰ θύρια ἐπὶ τὴν τρώσαντας, φερόμενοι. ὅτι καὶ οἱ ἀνδρείοι θυμοειδὲς. οὐμπικιώτατος γὰρ ὁ θυμῶς ἄφοδος τὴν κύνων, ὅθεν καὶ θυμῶς, ἔθνος εὐβάλε θυμῶν.* Fortes enim videntur, & qui per iram, sicut ferè in eos qui laferunt, feruntur: quoniam & fortes sunt iracundi. Res enim concitatissima est ad pericula, Ira. Ex quo & Homerus, Robur iniecit animo. Et plura ibi atq; alibi ille Sophus. Vide me Manduct. 111. Dissert. viii.

54. HINC FLAMMA. ] Si retines, tum & mox scribe, hinc stimulus. Et adspicit sanè ac gladiatores, qui flammâ & flagellis agebantur in n. utnas ce-

des. Sed magis placeat legi hæc flamma, & hic stimulus: quia ad solam iram referuntur. Flammam autem iuste appellat. quia reuera cum calore ea est, imò ex calore & igne (vt Aristoteles loquitur xiiii. Probl.) originem habet. Quin & aqua frigida largè infusa, ea sedatur.

55. TEMPERARE. ] Hoc omnes Peripatetici. & audiamus vnum Plutarchum: Οὐ μὲν ἀλλ' ἐπιμαχίας τις αὐτὰ δὲ καὶ μελέτης. ἢ καὶ μάχης ἀλλοῦται κατατάρας οἱ παρὰ ἑξέλιχοι τοῦ θυμοῦ ὡς σύμμαχον ἀρετῆς, ἀπολάνοντες ὅσον αὐτοῦ χροσμίον ἐσιν, ἢ τε πολέμου, καὶ τὴν δὲ ἰατρικὴν πολιτικῆς καὶ τοῦ ποδὸ δὲ αὐτῆς, καὶ τὸ ἐπιπόλαιον ἐκκρίνει καὶ καθάλλει τῆς ψυχῆς, ὅπερ ὀργή τε καὶ πικρία δὲ ἰξυθυμίας λέγεται. At enim curâ & industriâ aduersus ista opus est: quæ vel summa deprehenditur in iis qui Excandescentiam, tanquàm commilitonē Virtutis sumunt, fruentes videntesq; quod in eâ vtile est, & in bello D & in ipsâ republicâ. Oportet autem secerne & eicere animo, quod in eâ nimium & redundans est, quod Ira & Acerbitas nominatur. Scripsit & Themistius De moderatione affectuum: cuius egregium huic rei locum in Stobæi Sermone 1. vide: adde Agellium lib. xix. cap. xii. ipsum Aristotelem 11. Ethic. Nicom. & 111. sparsim.

56. IN PRÆCEPTIS. ] In hac materie pluscula Aristoteles 111. Ethic. cap. v. quædam initio in nostrâ potestate esse, quæ postea non sint. vt lapidem quem proieci, recipere & reuocare mihi non licet, at licebat non iacere.

CAP. VIII. 57. SEMINIBVS. ] Aliis sensibus: sed illud praualeat. Intellegit primos ortus iræ, & cum ea surgit: ac tunc resistendum.

58. INTRA-

A nis est, vbi semel affectus inductus est, iusque illi aliquod voluntate nostrâ datum est. faciet de cetero quantum volet, non quantum permiseris. In primis, inquam, finibus hostis arcendus est. nam cum<sup>58</sup> intravit, & portis se intulit, modum à captiuis non accipit. Neque enim sepositus est animus, & extrinsecus speculatur affectus, vt illos non patiatur vltra quam oportet procedere, sed in affectum ipse mutatur: ideoque non potest vtilem illam vim & salutarem, proditam iam infirmatamque, reuocare. Non enim, vt dixi, separatas ista sedes suas diductasque habent: <sup>59</sup> sed affectus & ratio in melius peiusque mutatio animi est. Quomodo ergo ratio occupata & oppressa vitii resurget, quæ ire cessit? aut quemadmodum à confusione se liberabit, in quâ peiorum mixtura præualuit? Sed quidam, inquit, in irâ se continent. Vtrum ergo ita, nihil vt faciant eorum quæ ira dicat, an vt aliquid? <sup>60</sup> Si nihil faciunt, apparet non esse ad actiones rerum necessariam iram: quam vos, quasi fortius aliquid ratione haberet, aduocabatis. Denique interrogo, valentior est quam ratio, an infirmior? Si valentior: quomodo illi modum ratio poterit imponere, cum parere nisi imbecilliora non soleant? <sup>61</sup> Si infirmior est: sine hac per se ad rerum effectus sufficit ratio, nec desiderat imbecillioris auxilium. At irati quidam constant sibi, & se continent. Quomodo? cum iam ira euanescit, & suâ sponte decedit, non cum in ipso feruore est: tunc enim potentior est. Quid ergo? non aliquando in irâ quoque & dimittunt incolumes intactosque quos oderunt, & à nocendo abstinent? faciunt. Quomodo? <sup>62</sup> cum affectus reperculsit affectum, aut metus, aut cupiditas aliquid imperauit. non rationis tunc beneficio quieuit, sed affectuum infidâ & malâ pace.

Denique nihil habet in se vtile, nec acuit animum ad res bellicas. Nunquam enim virtus vitio adiuuanda est, se contenta. Quoties impetu opus est, non irascitur, sed exurgit, & in quantum putauit opus esse, concitatur remittiturque: non aliter, quam quæ <sup>63</sup> tormentis exprimuntur tela, in potestate mittentis sunt, in quantum torqueantur. Ira, <sup>64</sup> inquit Aristoteles, necessaria est: nec quicquam sine illâ expugnari potest, nisi illa impleat animum, & spiritum accendat. Utendum autem illâ est, non vt duce, sed <sup>65</sup> vt milite. quod est falsum. Nam si exaudit rationem, & sequitur quâ ducitur, iam non est ira: cuius proprium est contumacia. Si verò repugnat, & non vbi iussa est quiescit, sed libidine ferociaque prouehitur: tam inutilis animi minister est, quam miles, qui <sup>66</sup> signum receptui negligit. Itaque si modum adhiberi sibi patitur, <sup>67</sup> alio nomine appellanda est: definit ira esse, quam effrenatam indomitamque intelligo. si non patitur; perniciosa est, nec inter auxilia numeranda. Ita aut ira non est, aut inutilis est. Nam si quis pœnam

ix:

58. INTRAVIT.] Simili imagine Hyperides: Ἀρχιμεινὸν δὲ τῶν ἀδικημάτων ἐπιπράσσειν τὰς ὁδοὺς. ὅταν δ' ἀπαρτῆται πρὸς τὴν κακίαν, καὶ ἀδελφία γένηται, καὶ δὴ τὸ πρὸς τὸν ἄλλο ἀφροσύνη, καὶ ἀδελφία αὐτῶν κατασφραγίσαι: Incipientibus vitii obstruendæ sunt viæ. cum verò semel malitia radices egerit, & inueterauerit; sicut coalita agritudo, difficilis est exstinctu.

D 59. SED AFFECTVS.] Libri scripti, & meus, ita præferunt: rectè, si tamen disjungendi particulâ, peiusve, scribamus. Sententia est. non storsim habitant affectus & animus, neque item ratio: sed animus hæc duo velut hospes excipit, modò rationi mancipatus, modò affectui. Mutatur cum illis: in melius, si ratio; in peius malitiosè, si affectus occupauit. Vide Manuduct. III. Dissert. VII.

60. SI NIHIL.] Alterum membrum omittit. & profecto calumniari cum Peripatetici possint dicere. Nam illi fatentur aliquid agere, atque impetum & vires dare, sed modificanda à ratione. Sicut puer qui vocem tollit, aliquid agit; sed modos à pausario accipit: sic in affectu, & ratione.

61. SI INFIRMIOR.] Nec hoc argumentum firmum. multa imbecilla in auxilium fortioris aduocan-

tur: imò pleraque auxilia (vel exemplo à militia) sunt talia.

62. CVM AFFECTVS.] Et hoc suggillem, ac fateor me in hac parte non esse Stoicum. Quid affectus? imò ratio & melior mens creberrimè vincit affectum: & sine beneficio contrarij affectus. Si diducere libeat, res clara sit: nec nisi in contentione neganda.

CAP. IX. 63. TORMENTIS.] Ballistis, aut Catapultis, quæ, vt arcus, intenduntur ac remittuntur, pro arbitrio dirigentis.

64. INQUIT ARISTOT.] Credo sequentia ex Aristotele ipso esse: in hodierno tamen alius querat.

65. VT MILITE.] Probâ comparatio, pro nostris Ambulonibus: etsi in Aristotele aliam reperio, nec minus aptam. Nam is Iram cum Ministro comparat, aut Canem. quorum ille, priusquam mandatum domini plene audierit, excurrit ad peragendum; iste, priusquam consideret si amicus sit, quicumque pulsauerit ostium, latrat: talis inquit ira, quæ rationem, sed non plene semper audit. VII. Nicomach. cap. VI.

66. SIGNVM REC.] Ex libris hoc est. & phrasîs nota, sicut Vestis indutus, & plura.

67. ALIO NOMINE.] Est verum, à modo transit in virtutem: sed affectus tamen fuit.



exigit, non ipsius pœnæ avidus, sed quia oportet; non est annumerandus iratis. Hic erit A  
 utilis miles, qui scit parere consilio: affectus quidem tam mali ministri, quàm duces sunt.  
 Ideò nunquam assumet ratio in adiutorium improvidos & violentos impetus, apud  
 quos nihil ipsa auctoritatis habeat. quos nunquam comprimere possit, <sup>68</sup> nisi pares illis  
 x. similesque opposuerit: ut iræ metum, inertie iram, timori cupiditatem. Absit hoc  
 à virtute malum, ut vnquam ratio <sup>69</sup> ad vitia confugiat. Non potest hic animus fidele  
 otium capere: quatiatur necesse est, fluctueturque, qui malis suis tutus est: qui fortis esse,  
 nisi irascitur, non potest; industrius, nisi cupit; quietus, nisi timet: in tyrannide illi vi-  
 uendum est, in alicuius affectus venienti seruitutem. Non pudet virtutes in clientelam  
 vitiorum demittere? Deinde desinit quicquam ratio posse, si nihil potest sine affectu, &  
 incipit par illi similisque esse. Quid enim interest, si æque affectus inconsculta res est sine  
 ratione, quàm ratio sine affectu inefficax? par utrumque est, vbi esse alterum sine altero  
 non potest. Quis autem sustineat, affectum exæquari rationi? Ira, inquit, utilis affectus  
 est, si modicus est. Imò si naturâ utilis est, sed si <sup>70</sup> impatiens imperij rationisque est, hoc B  
 dumtaxat moderatione consequetur, ut quò minor fuerit, minùs noceat. Ergo modi-  
 x. i. cus affectus, nihil aliud quàm malum modicum est. Sed aduersus hostes, inquit,  
 necessaria est ira. Nusquam minùs: vbi non effusus esse oportet impetus, sed temperatos  
 & obediens. Quid enim est aliud, quod Barbaros tanto robustiores corporibus, tanto  
 patientiores laborum comminuat, <sup>71</sup> nisi ira infestissima sibi? Gladiatores quoque ars  
 tuetur, ira denudat. Deinde quid opus est irâ, cum idem perficiat ratio? An tu putas ve-  
 natorem irasci feris, vel cum & fugientes persequitur, & venientes <sup>72</sup> excipit? omnia illa  
 sine irâ facit ratio. Quid Cimbrorum, Theutonorumque <sup>73</sup> tot millia superfusa Alpibus  
 ita sustulit, ut tantæ cladis notitiam ad suos non nuntius, sed fama pertulerit, nisi quòd  
 erat illis ira pro virtute? quæ ut aliquando perculit, strauitque obuia, ita sæpius sibi exi-  
 tio est. <sup>74</sup> Germanis quid est animosius? quid ad incursum acris? quid armorum cupi-  
 dius? quibus innascuntur innutrienturque: quorum vnica illis cura est, in alia negligenti-  
 bus. Quid induratus ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte <sup>75</sup> non tegu- C  
 menta corporum prouisa sunt, <sup>76</sup> non suffugia aduersus perpetuum cæli rigorem. Hos  
 tamen Hispani Galli que, & <sup>77</sup> Asiæ Syriæque molles bello viri, <sup>78</sup> antequam legio visa-  
 tur, cædunt: ob nullam rem aliam <sup>79</sup> opportunos, quàm ob iracundiam. Agedum, illis  
<sup>80</sup> corporibus, illis animis delicias, luxum, <sup>81</sup> opes ignorantibus, da rationem, da discipli-  
 nam:

68. NISI PARES.] *Negabunt, & iure, Aristotelis.*

CAP. X. 69. AD VITIA CONF.] *Non dicunt hoc illi, sed affectus ad aliquem usum insitos volunt à Deo & Naturâ: is autem à Ratione indagatur, & eò deinde ducuntur. Sicut plantæ siluestres cultu meliores fiunt, sicut animalia domantur & docentur: tale in istis.*

70. IMPATIENS.] *Nobiscum ita lege. Ita, inquit, si per naturam utilis: sed si per eam asper, & impatiens melioris imperij est; non est utilis dicendus, sed dumtaxat modo imposto, minus noxius.*

CAP. XI. 71. NISI IRA.] *Imò altera causa, inopia Disciplina.*

72. EXCIPIT.] *Venabulo est venatorium verbum, & notat expectare, subsistere, ferire. Curtius: Feram non exceptit modò, sed etiam vno vulnere occidit. Spartianus in Caracallâ: Exceptit apros frequentes, contra leonem etiam stetit.*

73. TOT MILLIA.] *Circiter trecenta.*

74. GERMANIS.] *Notent in suam laudem, sed & in cautionem.*

75. NON TEGVM.] *Ita & Tacitus de iis: Nudi, aut sagulo lenes.*

76. NON SUFFUGIA.] *Sunt sanè hodie, & caldaria illa cella emolliunt asperam indolem, sed & minuant virtutem. At de voce, suffragia libri plerique scripti habent: quod omnino probum. Suffragia, sunt auxilia, subsidia. quæ nobis commodant, sicut & qui vocem & punctum. Valerius: Lata negotia diuina suffragatione fouentur. Ammianus: Suffragantes abolitionem lectiones. Suffragium ætatis, Suffragium temporis in legum libris. Suffragatores, commendatores. Capitolinus: Suffragatoribus non citò credidit.*

77. ASIÆ SYR.] *Non quòd in iis locis belligerent Germani, sed quòd isti iam, sub Principibus, inter Romana auxilia: quæ ex omnibus provinciis colligebant, & in castris habebant.*

78. ANTEQVAM LEGIO.] *Nam ita tunc moris, ut auxilia ordinentur ferè pugnam: ingens victoria, decus, citra Romanum sanguinem bellantibus, ait Tacitus.*

79. OPPORTVNOS.] *Obnoxios, cædi vinctique faciles.*

80. CORPORIBVS.] *Tam magnis.*

81. OPES IGNOR.] *Olim, olim, nam imperij reliquis in eam gentem translatis; mox & opes, & vitia.*

Anam: ut nihil amplius dicam, necesse erit nobis certè mores Romanos<sup>82</sup> repetere. Quo alio<sup>83</sup> Fabius<sup>84</sup> affectas imperij vires recreauit, quàm quòd cunctari, & trahere, & morari sciuit, quæ omnia irati nesciunt? Perierat imperium, quod tunc in extremo stabat, si Fabius<sup>85</sup> tantum ausus esset, quantum ira suadebat. Habuit in consilio<sup>86</sup> fortunam publicam, & æstimatis viribus, ex quibus iam perire nihil sine vniuerso poterat, dolorem vltionemque seposuit, in vnam vtilitatem<sup>87</sup> occasionis intentus, iram antè vicit, quàm Hannibalem. Quid Scipio? nonne relicto Hannibale, Punico exercitu, omnibusque quibus irascendum erat, bellum in Africam transtulit,<sup>88</sup> tam lentus, ut opinionem luxuriae segnitiaeque malignis daret? Quid alter Scipio? non circa Numantiam<sup>89</sup> multum diuque sedit, & hunc suum<sup>90</sup> publicumque dolorem æquo animo tulit, diutius Numantiam quàm Carthaginem vinci? quam dum<sup>91</sup> circumvallat, & includit hostem, eò compulit, ut ferro ipsi suo<sup>92</sup> caderent. Non est itaque vtilis, nec in præliis quidem aut in bellis ira. In temeritate enim prona est: &<sup>93</sup> pericula dum inferre vult, non cauet. Illa certissima est virtus, quæ se diu multumque circumspexit & rexit, & ex lento ac destinato<sup>94</sup> prouexit. Quid ergo? inquit, vir bonus non irascetur, si cædi patrem suum viderit, si rapi matrem? Non irascetur: sed vindicabit, sed tuebitur. Quid autem times, ne parum illi magnus stimulus, etiam sine irâ, pietas sit? Aut dic eodè modo: Quid ergo, cum viderit secari patrem suum, filiumve, vir bonus non flebit, nec linquetur animo? quæ accidere feminis videmus, quoties illas leuis periculi suspicio perculit. Officia sua vir bonus exsequitur inconfusus, intrepidus: & sic bono viro digna faciet, ut nihil faciat viro indignum. Pater cædetur? defendam. cæsus est?<sup>95</sup> exsequar: quia oportet, non quia dolet. Cum hoc dicis Theophraste, quæris inuidiam<sup>96</sup> præceptis fortioribus, & relicto iudice,<sup>97</sup> ad coronam venis. quia vnusquisque in eiusmodi suorum casu irascitur, putas iudicatos homines id fieri debere, quod faciunt. Ferè enim iustum quisque affectum iudicat, quem agnoscit. Irascuntur boni viri pro suorum iniuriis? sed<sup>98</sup> idem faciunt, si<sup>99</sup> calida non bene præbeatur, si<sup>100</sup> vitrum fractum est, si calceus luto<sup>101</sup> sparsus

xii.

C

82. REPETERE.] *O pulchrè, quasi amissos igitur, in togâ & sago. Ac verè perierant, nec nisi mole sua & fato aliquandiu hoc corpus stetit.*

83. FABIVS.] *Ille cunctator.*

84. AFFECTAS.] *Languidas, ægras: imò panè ab Annibale confectas.*

85. TANTVM AVSVS.] *Concurrere videlicet, & pugnando vlcisci.*

86. FORTVNAM PVBL.] *Id est, cum eâ communicauit: & vidit Deos & fata tunc Romanis non æqua. Alter, aspexit in consilio capiendò, tristem fortunam & sepe aduersam, per quam vires exhaustæ, nec vltra iacturam vel leuam patiebantur, sine corporis totius interitu.*

D 87. OCCASIONIS.] *Ita ex meo libro. Seposuit, inquit, vltionis cogitationes, vicit se tantum & intendit in fructum qui ex occasione dari poterat: carpere agmen opportunè, commeatu prohibere, & si quid iale.*

88. TAM LENTVS.] *Præter ingenium ira. Sed ubi lentus è in Sicilia desedit, cum pallio crepidisque, in gymnasio obambulans: & quæ in Senatu ei obiecta, apud Liliam libro XXIX.*

89. MVLTVM DIVQVE.] *Annum serè & tres menses. Velleius.*

90. PVBLICVMQVE.] *Tanquam indignum Romano nomine & magnitudine, tam lentum cum vnâ vrbe bellum.*

91. CIRCVMVALLAT.] *Ambitu circiter quinquaginta stadiorum (sex miliarium amplius) vallo & fossâ clausit.*

92. CADERENT.] *Plerique omnes virtù quidem vnum super fuisse negat Florus: Appianus pauculos.*

CAP. XII. 93. PERICVLA.] *Democritus: φιλονεικία πάντα ἀνόητος, τὸ γὰρ κατὰ τὰ δυσμενέως βλάβερὸν θεωρεῖσθαι, τὸ ἰδίῳ συμφέρον ἢ βλάσσει: Contentio omnis imprudens. dum enim in hostis sui noxam intenta est, proprium commodum non videt.*

94. PROVEXIT.] *Longius iuit, sed consilio, non impetu.*

95. EXSECVAR.] *Id est, vindicabo, vlciscar. Ita loquitur De const. sapient. cap. x. atque ibi ego.*

96. PRÆCEPTIS FORT.] *Id est, verbus istis popularibus, vocas ip̄ inuidiam Stoica & robusta nostra præcepta.*

97. AD CORONAM.] *A iudicis publicis sumptum. ubi orator sepe à iudice ad circumstantem populum se vertebat, cum gratia aut volentia illis diceret. Significat igitur, Theophrastum & Peripateticos, popularia serere: & vulgum, quàm sapientes, iudicem malle.*

98. IDEM FACIUNT.] *Irridet Theophrastum. Quid tu ais? irasisti eos in suorum iniuriis? dabo tibi qui etiam in rebus minimis, & per delicias, irascantur.*

99. CALIDA.] *Inter epulas. solent enim aquam calfactam interponere, aut & cum vino miscere. Dixi abundè i. Elector. cap. IIII.*

100. VITRVM.] *A ministro mensali.*

101. SPARSVS.] *Nam calceis altiusculis nisi veteres: atque ij munduli, aspergebantur interdum ab aliquo improuidè transeunte.*

102. PVE-

sus est. Non pietas illam iram, sed infirmitas mouet: sicut <sup>102</sup> pueri, qui tam parentibus A  
 amissis flebunt, quàm nucibus. Irasci pro suis, non est pij animi, sed infirmi. Illud pul-  
 chrum dignumque, parentibus, liberis, amicis, ciuibus prodire defensorem, ipso officio  
 ducente: volentem, iudicantem, prouidentem, non impulsam & rabidam. Nullus enim  
 affectus vindicandi cupidior est, quàm ira: & ob id ipsum ad vindicandum inhabilis,  
 prærapida & amens: vt omnis ferè cupiditas ipsa sibi in id, in quod properat, <sup>103</sup> opponi-  
 tur. Itaque nec in pace, nec in bello, vnquam bona fuit. Pacem enim similem belli effi-  
 cit: in armis verò obliuiscitur Martem esse communcem, venitque in alienam potesta-  
 tem, dum <sup>104</sup> in suâ non est. Deinde non idè vitia in vsum recipienda sunt, quia ali-  
 quando aliquid boni effecerunt. <sup>105</sup> nam & febres quædam <sup>106</sup> genera valetudinis le-  
 uant: nec idè non ex toto illis caruisse melius est. Abominandum remedij genus est,  
 sanitatem debere morbo. Simili modo ira, etiam si aliquando, vt venenum, & præcipi-  
 ratio, & naufragium, ex inopinato profuit, non idè salutaris omnino iudicanda est. fa-  
 XIII. pe enim saluti fuere pestifera. Deinde quæ habenda sunt in bonis, quò maiora, cò B  
 meliora & optabiliora sunt. Si iustitia bonum est, nemo dicit meliorem futuram, si quid  
<sup>107</sup> detractum ex eâ fuerit: si fortitudo bonum est, nemo illam desiderabit ex aliquâ  
 parte deminui: ergo & ira quò maior, hoc melior. quis enim vilius boni accessionem  
 recusauerit? atqui augeri illam inutile est: ergo & esse. Non est bonum, quod incremen-  
 to malum fit. Vtilis, inquit, ira est, quia <sup>108</sup> pugnaciores facit. Isto modo & ebrietas. fa-  
 cit enim proteruos & audaces: multiq; meliores ad ferrum fuere malè sobrij. Isto mo-  
 do, dic & phrenesim & insaniam viribus necessariam: quia sæpe validiores furor reddit.  
 Quid? non aliquoties metus è contrario fecit audacem? & mortis timor etiam inertissi-  
 mos excitauit in prælium? Sed ira, ebrietas, timor, aliaque eiusmodi, scda & caduca ir-  
 ritamenta sunt: nec virtutem instruunt, quæ nihil vitii eger, sed segnem aliquando ani-  
 mum & ignauium paululum alleuant. Nemo irascendo fit fortior, nisi qui fortis sine  
 irâ non esset. Ita non in adiutorium virtutis venit, sed in vicem. Quid quòd, si bonum  
 esset ira, perfectissimum quemque sequeretur? at qui iracundissimi, <sup>109</sup> infantes, <sup>110</sup> se. C  
 XIV. nesque, & <sup>111</sup> ægri sunt, & <sup>112</sup> inualidum omne naturâ querulum est. Non potest,  
 inquit Theophrastus, fieri, vt ne bonus vir <sup>113</sup> irascatur malis. Isto modo, quo melior  
 quif-

102. PVERI.] *Aut potius, pueris.*

103. OPPONITVR.] *Ipsa sibi obstat, properando aut cadit, aut se tardat.*

104. IN SUA NON EST.] *Cicero IIII. Tusc. Quid est enim, quò non progrediatur ira? eodem, quò furor. Itaque iratos proprie dicimus exisse de potestate: id est de consilio, de ratione, de mente. Horum enim potestas in totum animum esse debet.*

105. NAM ET FEBRES.] *Plutarchus de febre etiam aliquid ad iram aptat, sed paulò aliter: egregiè tamen dictum, ponendum est. Iratus qui est, eodem modo fortis & strenuus dicitur, quo is qui febricitat, calidus. sic animus eius pulsu, tumore, atque agitatione distenditur. Bellè, sed planè pro Stoicis. & sicut calor in febre, sed malus est, sic robur in irâ, sed improbum. Plutarchus hac in Coriolano.*

106. GENERA VAL.] *Lentos morbos soluant, aut grauioribus superuenientes alleuant.*

CAP. XIII. 107. DETRACTVM.] *Meus liber, defectum. Ferri potest, magisq; defectum.*

108. PUGNACIORES.] *Dictum anic. sed addatur & Tully istud, è IIII. Academ. Iracundiam ipsam, fortitudinis quasi cõtem esse (veteres Acaemici) dicebant. Quid Lilius? ab hac parte est, lib. XXXIII. de pugna cum Boio: Ibi quantam vim ad stimulandos animos ira haberet, apparuit. Nam, ita cædis magis, quàm victoriæ audi pugnauerunt*

Romani, vt vix nuntium cladis hosti relinqueret.

109. INFANTES.] *Bono argumento ostendit, iram fortium non esse: imò contrâ. De infantibus, Plato IIII. de Rep. dum docet distinctum à Rationali siue λογική τὸ ἐπιθυμητικὸν siue Concupiscibile esse. Καὶ γὰρ ἐν τοῖς παιδὶ τοῖς ἰσχυροῖς, τοῦ τὸ γὰρ τις ἰδοί, ἔτι θυμοῦ μὲν, ἐν θυρὶς γὰρ ἔμενα, κατὰ τὴν λογισμὸν δὲ ἐννοί μιν ἔμοργε δ' οὐκ ὄσιν ἐδ' ἴποσι μεταλαμβάνειν, οἱ δὲ πολλοὶ ὀφείποτε: Nam & in pueris hoc aliquis videat, qui, statim atque nati sunt, irâ quidem pleni apparent, ratiocinationis verò, meo iudicio, quidam numquam compotes fiunt, ple- nique autem bene ferò.*

110. SENESQUE.] *De his infra, lib. II. cap. XIX.*

111. ÆGRI.] *Ibidem, vide.*

112. INVALIDVM.] *Causâ infra reddetur. Menander porrò in ipsam hanc sententiam:*

Τὸ δ' ἔξυθυμον τὸ το, καὶ λίαν ἀπειρον,  
 Δεῖ μ' ἐστὶν ἐν θυρὶς ἀσῆσι μὴ προφύχτας:

At feruidum istud atque exasperans nimis,  
 Infirmitatis omnibus statim nota est.

CAP. XIV. II. IRASCATVR MALIS.] *Hor Peripatetici senserunt, viliis vitijsiq; irascendum esse: & vtilem hunc affectum ad correctionem. Christiani doctores in eadem parte. & Lactantij Caput XVIII. est libro De irâ Dei, Sine irâ peccatum non corrigi: vbi & Stoicos refutat. D. Ambrosius I. De officiis: Irascimini vbi est culpa, cui irasci de- beat.*

A quisque, hoc iracundior erit? vide ne contra placidior, solutusque affectibus, & cui nemo odio sit. Peccantes verò quid habet cur oderit, cum <sup>114</sup> error illos in huiusmodi delicta compellat? non est autem prudentis, errantes odisse: alioquin ipse sibi odio erit. Cogitet quàm multa contra bonum morem faciat, quàm multa ex his quæ egit, <sup>115</sup> veniam desiderent: iam irascetur etiam sibi. Neque enim æquus iudex aliam de suâ, aliam de alienâ causâ, sententiam fert. Nemo, inquam, inuenitur, qui se possit absoluerè: & innocentem quisque se dicit, <sup>116</sup> respiciens testem, non conscientiam. Quanto humanius, <sup>117</sup> mitem & pacatum animum præstare peccantibus: & illos non persequi, sed reuocare? Errantem per agros ignorantia viæ, melius est ad rectum iter admouere, quàm expellere. Corrigendus est itaque qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & asperè: meliorque tam sibi quàm aliis faciendus, non sine castigatione, sed sine irâ. quis enim cui medetur, irascitur? At corrigi nequeunt, nihilque in illis spei bonæ capax xv. est. Tollantur è cœtu mortalium, facturi peiora <sup>118</sup> quæ contingunt: & quo <sup>119</sup> vno modo possunt, desinant mali esse: sed hoc sine odio. Quid enim est cur oderim eum, cui tum maximè profum, cum illum <sup>120</sup> sibi eripio? Numquid membra sua odit, tunc cum abscondit? non est illa ira, sed misera curatio. Rabidos effligimus canes, trucem atque immanuetum bouem cædimus, & morbidis pecoribus, ne gregem polluant, ferum deinitimus, portentosos fœtus extinguiimus, liberos quoque, <sup>121</sup> si debiles monstrisque editi sunt, mergimus. Non ira, sed ratio est, à sanis inutilia secernere. Nil minus quàm irasci punientem decet: cum eò magis ad emendationem pœna proficiat, si iudicio

beatis. non potest enim fieri, vt non rerum indignitate moueatur: alioqui non virtus, sed lenitudo & remissio iudicatur. *Bernardus in Epist.* Non irasci vbi irascendum est, & nolle emendare peccatum, peccatum est. Plus verò irasci, quàm irascendum est, peccatum peccato addere est.

C 114. ERROR.] *Stoicum est, quorum istud dogma: Εἴη δὲ ἀνόλος τὰς κακίας, ὡς αἱ ἀρτίαι ἰατρικαί: Esse peccata ignorantiam illarum rerum, quarum scientia virtus est. Itaque & Virtutes, Scientias definiunt: & his præditos, Eruditos, appetentes, Studiosos appellant. Contrà, in Vitiis.*

115. VENIAM DES.] *Ita Plutarchus quoque hanc iram coercet: Si illud Platonis, inquit, cottidie in aure nobis sonet, Annon ego sum talis: atque ita ab externis cogitationem intrò fleat, & criminationibus metum misceat: non admodum improbitatis nomine alios oderit, cum veniam sibi opus esse cognoscit.*

116. RESPICIENS TESTEM.] *Id est, hæc enim se innocentem potest dicere, si clam & in secreto peccauit. quasi noxæ non sint, quarum nomen est consciunt: & satis, homines nescire aut falli.*

D 117. MITEM ET PAC.] *At Plato ecce utrumque adfectum misceat, & iram & Mansuetudinem. De Legibus, v. Συμοιδὴ μὲν χρὴ πάντα ἀνδρα εἶναι, πρῶτον δὲ ἐπιμαλίστα. τὰ γὰρ τῶν ἄλλων χαλεπὰ καὶ δυσίατα, ἢ τὰ παραπῶν ἀνίκα ἀδικήματα, ἐκ ἐστὶν ἄλλως ἐκφυγεῖν, ἢ μαχόμενον καὶ ἀμυνόμενον νικῶντα, καὶ τὸ μὴ ἐν ἀνίκα κολάζοντα. τοῦτο δὲ αὐτοῦ Συμοῦ γενναίου ψυχῆ πᾶσα ἀδύνατος εἶναι. Deinde paulò post: Εὐλαίη δὲ τὸν μὲν ἰσχυρὰ ἔχοντα ἐγχαρῆναι, καὶ ἀνιέρχοντα τὸν Συμὸν παραίνεν, καὶ μὴ ἀκριβοῦντα γυναικίως, πικρανόμενον διατελεῖν. τὰ δὲ ἀειράτως, καὶ ἀσπαρμυθῆτως πλοημελεῖν, καὶ ἐπίσταναι δὲ τὴν ὀργήν. διὸ δὲ Συμοιδὴ ἔσται, καὶ πρῶτον ἐκείνη, καὶ ἔπειτα τὸν ἀγαθόν. Oportet iracundum quemuis virum esse, & maximè etiam mitem. Aliorum enim peccata grauiâ & curatu*

difficilia, aut prorsus insanabilia, non aliter licet vitare aut tollere, quàm pugnando, resistendoque vincere, & sine remissione punire. Hoc autem sine generosâ quadam irâ, nullus animus fecerit.

*Et mox: At contra misereri eius ius fasque est, qui sanabilia habet, & cohibentem iram, mansuetius agere, nec muliebriter ad extremam illam insurgere, atque in eâ acerbè perseuerare. Qui autem sine modo & remedio prauus malusque est, in eum iram licet liberius laxare. Propterea dixi, & iracundum & mitem variè virum bonum esse debere. Hac pluscula transcripsi, quia ad totam materiam hanc faciunt, & veteris Academicæ sensum reuelant: quem noster variè tangit.*

CAP. XV. 118. QUÆ CONTINGUNT.] *Id est, contagione nocituri, malitiam in alios transfusuri.*

119. VNO MODO POS.] *Ex Eusebio philosopho Stobæus adfert: Ἀγροὶ δὲ τὸ μέγιστον, οἱ καὶ ὁ θάνατος αὐτὸς παρὰ τῶν πρῶτως δίκαιων ἀνθρώπων, οὐδὲ κακῶν ἐπιτιμήθη, ἀλλ' ὡς ἐχρατον, καὶ ἐν φαρμακικῷ λόγῳ, κατὰ τῶν ἰδυναιμένων τῆς κακίας ἐλευθερωθῆναι. δίκως, ἐπιτιμὴ ἢ χολὰ τὴν ἄλλως, τὴν γὰρ τῶν τριῶν ἀπολυθεῖν τὴν ἐνταῦθα δεσμού, αὐτῆς πορίσονται φύσιν: Ignorat verò quod maximum est, quod nec ipsa mors ab iis qui primi iura constituerunt, quasi malum aliquod impositum decretumque sit: sed vt extremum, & in medicinæ loco, aduersus eos qui liberari à malitiâ nō possent. Vt quoniam alia ratio non esset, hac viâ saltē, absoluti vinculis, eam effugerent. Quæ pulchra, & gemina istis sunt, itemq; mox legendis.*

120. SIBI ERIPIO.] *Circumferi se, prauum & pestilentem: eripio talem animum cum ipsâ animâ, & corpus vacuum relinquo.*

121. SI DEBILES.] *Satis hoc crudum, sed commune & receptum. neque monstra tantum, vt præmissi: sed debiles, imò & qui iam nimij aut oneri parentibus essent, abiiciebant, siue exponebant. Itaque non superflua hæc verba sunt, aut falsa, vt quidam censent:*

iudicio lata est. Inde est, quod <sup>122</sup> Socrates seruo ait: *Caderem te, nisi irascerer.* Admonitionem serui in tempus sanius distulit, illo tempore se admonuit. Cuius erit temperatus affectus, cum Socrates non sit ausus se iræ committere: Ergo ad coercitionem errantium, sceleratorumque, irato castigatore non opus est. Nam cum ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere peccantem.

XVI.

mi sit, non oportet peccata corrigere peccantem. Quid ergo? non irascat latroni? non irascat venefico? Non. neque enim mihi irascor, cum sanguinem mitto. Omne pœnæ genus, remedij loco admoueo. Tu adhuc in primâ parte verfaris errorum, nec grauius laberis, sed frequenter: obiurgatio te primum secreta, deinde publica emendare tentabit. Tu longius iam processisti, quam vt possis verbis sanari: ignominia <sup>123</sup> non contineberis. Tibi fortius aliquid, & quod sentias, inurendum est: in exilium & loca ignota mittèris. In te duriora remedia, iam solida nequitia desiderat: & vincula publica, & carcer adhibebitur. Tibi insanabilis animus est, & sceleribus scelera contexens: & iam non caussis, quæ nunquam malo defuturae sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum <sup>124</sup> causa, peccare. perhibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, vt nisi cum ipsis exire non possit: olim miser <sup>125</sup> mori quæris. bene de te merebimur: auferemus tibi istam, quâ vexaris, insaniam, & per tua alienaque volutato supplicia, id, quod <sup>126</sup> vnû bonum tibi superest, repræsentabimus, mortem. Quare irascat, cui cum maximè profum? interim optimum misericordiae genus est, <sup>127</sup> occidere. Si intrassem valetudinarium exercitatus & sciens, <sup>128</sup> aut domum diuitis, non idem imperassem omnibus, per diuersa ægrotantibus. Varia in tot animis vitia video, & ciuitati curandæ adhibitus sum: pro cuiusque morbo medicina quærat. Hunc fanet verecundia, hunc peregrinatio, hunc dolor, hunc egestas, hunc ferrum. Itaque etsi <sup>129</sup> peruersa inducenda magistratui vestis, & conuocanda <sup>130</sup> classico concio est: procedam <sup>131</sup> in tribunal, non furens,

sent: tantum pro mergimus, videndum an non verius, abiciamus. Certè libri quidam, abigimus, habent. Vide Centur. I. ad Belg. ep. LXXXV.

122. SOCRATES.] Lactantius Archyze tribuit, De ira Dei, cap. xviii. Idem Hieronymus in ioëlem: Rectè illud laudatur Archyze Tarentini, qui cum villico suo iratus esset, iam te, inquit, caderem nisi iratus essem.

CAP. XVI. 123. NON CONTINEBER.] Imò vero legendum sine negatione (Grutero quoque visum) consensu librorum. Distingue autem: sanari: ignominia contineberis. Tibi fortius &c. Seneca sex gradus facit coercendi, Admonitionem priuatam, Publicam, Ignominiam, Exilium, Carcerem, Mortem. De ignominia, notum satis Romano ritu, Censores eâ notasse, & ordine mouisse.

124. CAUSSA, PECCARE.] Quos non voluptas tantum aut illecebra peccati, sed ipsum & infamia eius, delectant.

125. MORI QUÆRIS.] Hæc illustrant ista Iamblichii, paris sententia: *καταχωρησάμενος ἠελίου τοῦ καίοντος τοῦ διαλύοντος. ἄνω γὰρ τοῦ μολύβου τοῦ τρυφῶντος τῆς γῆς:* Sicut suppurato melius est vri, quàm sic manere; ita improbo mori, quàm viuere.

126. VNVM BONVM.] Boethius in Consolatione: Feliciores esse improbos supplicia luentes, quàm si nulla eos iustitiæ pœna coerceret.

127. OCCIDERE.] Stoico, sed & Romano sensu. si quis in summis miseriis, sine spe euadendi, si hostis impotens inflat, & moriendum alieno arbitrio, vel ludibrio; seruus, cliens, amicus manum commodat, & per miserationem tollit. Valet autem hic Interim, Interdum.

128. AVT DOMVM DIVITIS.] Miror à Muretò omiſſa. neque enim supersunt, & libri omnes

hic ponunt. Aspectus est ad numerum seruorum, qui in domo diuitum illo auro: neque cohortes solum erant, sed legiones, vt Plinius loquitur: ergo in tali numero multi & variè agri, nec immeritò cum valetudinario iungit.

129. PERVERSA. Interpretatur Muretus, Magistratus cum ciuem condemnaturi essent, prætextam posuisse, eamque peruersam induisse, id est partem eius floridiorem (ita loquitur) ac nidiorem introrsus ad se veruisse, moris significandi gratiâ. Hæc an assentiatur, etsi acutè, ad vocem assigenti & adhaerenti. Sed puto simplicius veriusque, Prætextam & qui iudicio præsidebat, iam sententiam laturum posuisse prætextam: & in tunica sententiam tulisse, vel etiam in aliâ togâ, sordidâ & pullatâ. Valerius, de C. Mario, lib. ix. Cum M. Ciceronem, qui id iudicium cogeat, ponentem prætextam vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed reum permisit. ac protinus sudario, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu, pœnam, morte præcurrit. Et sanè Peruersus, non est Inuersus simpliciter, sed male & præposterè versus, immutatus. Itaque peruersa vestis, indecens, aliena magistratui: qualis est seruilis aut funesta. Enimverò solenne in luctu Senatoribus lantum clauum deponere, magistratibus prætextam. Tacitus, in Germanici funere: Sine insignibus magistratus. Lucanus, in Insulto:

-- nullos comitata est purpura fasces.  
130. CLASSICO.] Ita factum quoque, veteri admodum more, ubi cuius in capitis discrimen vocabatur. Classicum anse eius ostium, in arce, intra & circum muros caneat: vt populus conueniret, & tristi spectaculo atque exemplo interesset. Ego in Com. ad Tacit. lib. 11. Ann.

131. IN TRIBVNAL.] Hæc adspexit Lactantius, cum

A furens, nec infestus, sed <sup>132</sup> vultu legis: & illa <sup>133</sup> sollemnia verba, <sup>134</sup> seuerâ magis grauique, quàm rabidâ voce concipiam, & <sup>135</sup> agi iubebo non iratus, sed seuerus. Et cum ceruicem noxio præcidi imperabo, & cum <sup>136</sup> parricidam insuam <sup>137</sup> culleo, & cum mittam in supplicium <sup>138</sup> militare, & cum <sup>139</sup> Tarpeio proditorem hostemve publicum imponam, sine irâ, eo vultu animoque ero, quo serpentes & animalia venenata percuto. Iracundiâ opus est ad puniendum. Quid tibi videtur lex irasci his quos non nouit, quos non vidit, quos non futuros sperat? Illius itaque sumendus est animus, quæ non irascitur, sed constituit. Nam si bono viro ob mala facinora irasci conuenit, & ob secundas res malorum hominum inuidere conueniet. Quid enim est indignius, quàm florere quosdam, & eos indulgentiâ fortunæ abuti, quibus nulla potest satis mala inueniri fortuna? Sed tam commoda illorum sine inuidiâ videbit, quàm scelera sine irâ. Bonus iudex damnat improbanda, non odit. Quid ergo? non cum eiusmodi aliquid sapiens habebit in manibus, tangetur animus eius, eritque solito commotior? Fateor. sentiet seuem quendam, reuicemque motum. nam, vt dixit Zeno, in sapientis quoque animo, etiam cum <sup>140</sup> vulnus sanatum est, <sup>141</sup> cicatrix manet. sentiet itaque suspiciones quasdam, & umbras affectuum: ipsis quidem carebit. Aristoteles ait, affectus quosdam, si quis illis benè utatur, pro armis esse. Quod verum foret, si velut bellica instrumenta sumi deponique possent, induentis arbitrio. Hæc arma quæ Aristoteles virtuti dat, ipsa per se pugnant, non expectant manum. habent, & non habentur. Nil aliis instrumentis opus est: satis nos instruxit ratione natura. Hæc dedit telum, firmum, perpetuum, obsequens, nec anceps, nec quod in dominum remitti posset. Non ad prouidendum tantum, sed ad res gerendas satis est per se ipsa ratio. Etenim quid est stultius, quàm hanc ab iracundiâ petere præsidium: rem stabilem ab incertâ, fidelem ab infidâ, sanam ab agrâ? Quid, quod ad

actio-

cum refutans Stoicos, fatetur tamen iudicem posse, sub cuius oculis facinus non admittitur, immotum sententiam dicere: non idem in aliis, præsertim à quorû domesticis aut subditis peccatur. Vide c. xviii.

132. VULTU LEGIS.] Reuicunt alij, & vultu leni substituunt. At cum meus & scripti teneant: non moueo. atque adeo Seneca firmare mihi videtur, in verbis mox sequentibus: Quid enim? videtur lex irasci his quos non nouit? illius itaque sumendus est animus. Sicut hic animus legis sumi vult, ita illic vultum. Et quid hoc est? de lege & iustitiâ quasi re animatâ, & vt graui seueraque virgine, loquuntur aut scribunt: maneat hæc imago, & facilis interpretatio.

133. SOLLENNIA VERBA.] Quibus sententia concipitur, & qua de tabellâ pronunciat. Legitima verba appellantur Controu. i. libri ix. Possunt etiam referri ad hæc sequentia, Lege age.

134. SEVERA.] Nulli scripti habent, sed leni: cur mutemus, non video. nam vult mixtum aliquid in voce esse, neque minax & asperum, sed leniter seuerû.

135. AGI IUBEBO.] Plena verba, Lege age licitor: Liuius, Seneca, alij. Sed & compendio, Age licitor. quæ post sententiam recitatam pronuntiabantur: & tristibus abstinentes, non dicebant, Cæde, Occide, Affige: sed Lege age, siue, vt in Valerio, Iure age. quod est, secundum legis scita hunc tolle, hunc verbera, suspende.

136. PARRICIDAM.] Meus addit, parricidam periudices insuam. non probo.

137. CULLEO.] Sacco coriaceo. Vide de Clem. l. cap. xxi.

138. MILITARE.] Quod illud? Fustuarium? an & Gladium intellegit? Nam quamquam præcæsit de ceruice præcidendâ, tamen hoc ad Securim potius

referatur: & pœna gladij, militaris omnino erat. Docui ad xv. Annal. Tacit. Attamen ego, ex filo sermonis hic legi malle, militarem. Siue noxium, parricidam, militaris loci hominem, siue proditorem occidi iubebo: in variis suppliciis, idem ero, seuerus sine irâ, lenis sine remissione.

139. TARPEIO.] Quod veteri magis republicâ, quàm Principum imperio receptum: tamen neque tunc omnino desitum, Tacitus docet in P. Pituatio Mathematico, & Sexto Mario incesti damnato: quorum vterque saxo deiectus. Porro ad hæc Seneca, Claudiam locus aptus, in Panegyrico Malliano:

Seruati inoffensam diuina modestia vocem, Tempericem seruant oculi, nec lumina feruor Asperat, aut rabidas diffundit sanguine venas, Nullaque mutati tempestas proditur oris. Quinetiam fontes expulsa corrigis irâ, Et placidus delicta domas. nec dentibus vnquâ Intrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.

Qui fruitur pœnâ, ferus est, legumque videtur Vindictam præstare sibi. cum viscera felle Canduerint, ardet stimulis, ferturque nocendi Prodigus, ignarus causæ. Dis proximus ille est, Quæ ratio, non ira mouet. qui facta rependens Consilio punire potest.

Vbi nota, legum vindictam dici: aspectum ad vocem, Age lege. Qui autem, inquit, fruitur, id est delectatur pœnâ (nam Frui est, cum gaudio vti) is vindictam sibi præstare, & suâ causâ, non legum punire videtur.

140. VVLNVS SANATVM.] Ipse affectus domitus, & pars ea consanuit.

141. CICATRIX.] Primi affectuum motus, & irritamenta. Vide fist. Manuduct. 111. Dissert. viii.

B

142. RE-

actiones quoque, in quibus solis opera iracundiæ videtur necessaria, multo per se ratio A fortior est: Nam cum iudicauit aliquid faciendum, in eo perseverat. nihil enim melius inuentura est seipsâ, quo mutetur: ideo stat semel constitutis. Iram sæpe misericordia 142 retro egit. habet enim non solidum robur, sed vanum tumorem: violentisq̃e principiis vitur. non aliter quàm qui à terrâ venti surgunt, & fluminibus paludibusq̃e 143 concepti, 144 sine pertinaciâ vehementes sunt. Incipit magno impetu, deinde deficit ante tempus fatigata: & quæ nihil aliud quàm crudelitatem ac noua genera pœnarum versauerat, cum animaduertèdum est, iam 145 infracta, lenisque est. Affectus citò cadit: æqualis est ratio. Ceterum etiam ubi perseverauerit ira, nonnunquam si plures sunt, qui perire meruerunt, post duorum triumve sanguinem, occidere desinit. Primi eius ictus acres sunt, sicut serpentium venena à cubili repentium nocent: innoxij 146 dentes sunt, cum illos frequens morsus exhaust. Ergo non paria patiuntur, qui paria commiserant: & sæpe qui minus commisit, plus patitur: quia recentiori iræ obiectus est, & in totum inæqualis est. modò ultra quàm oportet, excurrit, modò 147 ceterius debito resistit. Sibi enim indulget, ex libidine iudicat, & audire nō vult, & patrocínio non relinquit locum, & ea tenet quæ inuasit, & eripi sibi iudicium suum, etiam si prauum est, non finit. Ratio vtrique parti locum dat, & tempus dat. Deinde 148 aduocationem etiam sibi petit, vt excutiendæ spatium veritati habeat: ira festinat. Ratio id iudicari vult, quod æquum est: ira id æquum videri vult, quod iudicauit. Ratio nihil præter ipsum, de quo agitur, spectat: ira vanis & extra causam obuersantibus commouetur. Vultus illam 149 securior, vox clarior, sermo liberior, cultus delicatior, 150 aduocatio 151 ambitiosior, 152 fauor popularis exasperat. Sæpe infesta patrono, reum damnat: etiam si ingeritur oculis veritas, amat & tuetur errorem: coargui non vult: & in malè ceceptis, honestior illi pertinacia videtur, quàm pœnitentia. 153 Cn. Piso fuit memoriâ nostrâ, vir à multis vitiis integer, sed 154 prauus, & cui placebat pro constantiâ rigor. Is cum iratus 155 duci iussisset eum, qui 156 ex comæatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non 157 exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit. damnatus 158 extra vallum ductus est, & iam 159 cervicem porrigebat, cum subito apparuit ille commilito, qui occisus

142. RETRO EGIT.] Mutare præpositum & quasi cursum fecit.

143. CONCEPTI.] Ita legendum ex libris, & ipsâ re: non excepti. Duo genera ventorum Aristoteles, sine auctore libelli De mundo, facit: quæ reddam, Apuleio vertente: Ventorum binæ sunt species. Qui facti è telluris halitu constant, Terrigenæ nuncupantur: at illi qui excutiuntur è sinibus, Encolpiæ Græcè nominati. Consimiles his haberi oportet eos, qui de fluminibus, lacubus, & stagnis. De hisdem susè noster v. Quæst. Natur. ca. viii. & xiv. Ergo concipiuntur gignunturq̃, ex aquis.

144. SINE PERTINACIA.] Impetum habent, sed breuem nec duraturum. Seneca dicto cap. viii. notat, hos Aquaticos ventos, nocte concipi, circa lucem erumpere, sed vix ultra matutinum flare. Nam, inquit, omnis illorum vis conspectu solis extinguitur: etiam si vehementiores flauère, circa medium tamen diem relanguescunt, nec vnquam vique in meridiem aura producitur.

145. INFRACTA.] Ita feci, cum scripti & ante à edisi haberent, ira fracta.

146. DENTES.] Aspidi & serpentibus (ait Plinius) duo dentes in superâ parte, dextrâ lauaq̃e, longissimi, tenui fistulâ perforati, vt scorpionum aculei, venenum infundentes. Non aliud hoc esse, quàm fel serpentium, & inde venis sub spinâ ad os peruenire, diligentissimi auctores scribunt.

147. CETERIUS.] Interius, citra metam.

148. ADVOCATIONEM.] Phrasis crebra in Senecâ, Dare, aut petere aduocationem: significat moram, & tempus deliberandi. Dico Consol. ad Marc. cap. x.

149. SECVRIOR.] In reo, quem & sequentes notæ spectant.

150. ADVOCATIO.] Aduocati, qui amico presentiam operamq̃, commodant.

151. AMBITIOSIOR.] Splendidior, frequentior.

152. FAVOR POP.] In reum.

153. CN. PISO.] Credo ipsum esse, qui Syria præfuit sub Tiberio, & causa mortis putatur Germanico fuisse. Nota, quâ hic Seneca insigniuit, prauum & rigidum fuisse, conuenit cum is, quæ Tac. ii. An. Cn. Pisonem, ingenio violentum, & obsequij ignarum, insitâ ferociâ à patre Pisone.

154. PRAVVS.] Proprie, non rectus, distortus.

155. DVCI.] Ad supplicium. ita enim ἀνδρά; loquuntur.

156. EX COMMEATV.] Comæatus, est facultas tempusq̃, præscriptum comæandi & remeandi. Plerumque in militiâ usurpatur, vt hic. Vide Epist. l. i. initio.

157. EXHIBEBAT.] Iurisconsultus: Exhibet, qui præstat eius rei, quâ de agitur, presentiam.

158. EXTRA VALLVM.] Sicut in urbitus, extra portas damnati ducebantur.

159. CERVICEM.] Vides militare supplicium, de quo paullo ante.

A occisus videbatur. Tunc <sup>160</sup> centurio supplicio <sup>161</sup> præpositus, condere gladium <sup>162</sup> speculatore[m] iubet: damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni <sup>163</sup> innocentiam. nam <sup>164</sup> militem fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur, complexi alter alterum, cum magno gaudio castrorum, commilitones. Conscendit tribunal furens Piso, ac iubet duci virumque, & eum militem qui non <sup>165</sup> occiderat, & eum qui non <sup>166</sup> perierat. Quid hoc indignius? quia vnus innocens apparuerat, duo peribant: Piso adiecit & tertium. Nam ipsum <sup>167</sup> centurionem, qui damnatum reducerat, duci iussit. Constituti sunt in eodem illo loco perituri tres, ob vnus innocentiam. O quàm solers est iracundia, ad fingendas causas furoris! *Te*, inquit, *duci iubeo, quia damnatus es: te, quia causâ damnationis commilitoni fuisti: te, quia iussus occidere, imperatori non paruisti.* Excogitauit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum inuenerat. Habet, inquam, iracundia hoc mali, non vult regi. Irascitur veritati ipsi, si contra voluntatem suam apparuerit: clamore, & tumultu, & totius corporis iactatione, quos destinauit, insequitur, B adiectis conuiciis maledictisque. Hoc non facit ratio: sed si ita opus est, silens quietaq[ue], rotas domos funditus tollit, & familias Reipublicæ pestilentes cum coniugibus ac liberis perdit, <sup>168</sup> tecta ipsa diruit, & solo exæquat, & inimica libertati <sup>169</sup> nomina extirpat. Hæc non frendens, nec caput quassans, nec quicquam indecorum iudici faciens, cuius tum maximè placidus esse debet & in statu vultus, cum magna pronunciat. Quid opus est, inquit Hieronymus, cum velis cædere aliquem, prius tua labia mordere? Quid si ille vidisset, desiliens de tribunali proconsulem, & fasces lictori auferentem, & sua vestimenta <sup>170</sup> scindentem, quia tardius <sup>171</sup> scindebantur aliena? Quid opus est mensam euertere? quid pocula <sup>172</sup> affligere? quid se <sup>173</sup> in columnas impingere? quid capillos euellere? <sup>174</sup> femur pectusque percutere? Quantam iram putas, quæ quia non tam citò in alium quàm vult, erumpit, in se reuertitur? Tenetur itaque à proximis, & rogatur, vt ipse sibi placetur: quorum nihil facit, quisquis vacuus irâ, meritam cuique pœnam iniungit. Dimittit sæpe eum, cuius peccatum deprehendit, si pœnitentia facti spem bonam pollicetur, si intelligit non ex alto venire nequitiam, sed <sup>175</sup> summo, quod aiunt, animo inhærere. Dabit impunitatem, nec accipientibus nocituram, nec dantibus. Nonnunquam magna scelera leuius, quàm minora compescet: si illa lapsu, non crudelitate commissa sunt; his inest latens, & operta, & inueterata calliditas. Idem delictum in duobus non eodem modo <sup>176</sup> afficiet, si alter per negligentiam admisit, alter curauit vt nocens esset.

Hoc

160. CENTURIO.] *Ipsi supplicii præerant: etsi Rome, & in Prætoris cohortibus, sæpe Tribuni.*

161. PRÆPOSITVS.] *Supplicij exactor Tacito.*

162. SPECVLATOREM.] *Genus militum, quod iterum nominat De Benefic. l. III. cap. XXV. Milites autem iterum pœnalem serue administrabant: ac vide, si vis, de Speculatoribus que scripsi ad 1. Histor.*

D 163. INNOCENTIAM.] *Quam amiserat, innocentem damnando.*

164. MILITEM.] *Ita meus, commodo sensu. At Pinciani & Gruteri codices plerique, militi: quod pœnè est, vt præferam. Militi, damnato nempe, qui videbatur nocens, nec erat.*

165. OCCIDERAT.] *Non occisus erat à speculatore.*

166. PERIERAT.] *Vt putabatur, in comæatu.*

167. CENTURIONEM.] *Mirum & prauum exemplum. tamen notetur seruo, etiam tunc Disciplinam illam sic rigidam castrorum fuisse, & ob minima delicta, mortem in pœna.*

168. TECTA.] *Vt in Sp. Melio, alijsq[ue] factum.*

169. NOMINA.] *Vt in Manlij Capitolini prænomine, quod posteri vetiti ferre.*

170. SCIDENTEM.] *Vi adhibita frangentem, quod solet in dolore, aut irâ.*

171. SCINDEBANTVR.] *Nempe damnatorum. Vis quippe lictor vestimenta contemptum & rapidè auferbat, lacerabat, & sic verberabat. Linius VIII. Fabius fidem militum implorans, lacerantibus vestem lictoribus, ad triarios se recepit. Valerius de eadem re: Rutilianum scissâ veste, spoliatoq[ue] corpore. Tacitus: Protractum è tentorio, scissa veste, verberant.*

172. AFFLIGERE.] *In terram iacere, ac frangere.*

173. IN CÔLVMNAS.] *Hoc quoque iratorum, & indecorè se gerentium. vt Capitolinus de Maximino: Iaciebat se in parietes, nonnunquam terra se prosternebat. Item: Incurrere in panctes, vestem scindere videbatur. Suetonius de Augusto, in clade Varianâ: Adeò namque consternatum ferunt, vt caput interdum foribus illideret.*

174. FEMVR.] *Item in indignatione. Cicero in Bruto: Non frons percussa, non femur. Fabius inter gestus oratorios recenset.*

175. SVMMO ANIMO.] *In extremâ quasi eius cute, non insedit, aut penetravit.*

176. AFFICIET.] *Ipsam afficiet, aut mouebit.*

B 2

Quidam



Hoc semper <sup>177</sup> in omni animaduersione seruat, vt sciat alteram adhiberi, vt emendet malos: alteram, vt tollat. In vtroque non praterita, sed futura intuebitur. Nam, <sup>178</sup> vt Plato ait, ΝΕΜΟ prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Reuocari enim praterita non possunt: futura prohibentur. & quos volet nequitiae male cedentis exempla fieri, palam occidet: <sup>179</sup> non tantum vt pereant ipsi, sed vt alios percundo deterreant. Hæc cui expendenda, æstimandaque sunt; vides quam debeat omni perturbatione liber accedere ad rem summâ diligentia tractandam, potestatem vitæ necisque. Male irato ferrum committitur. Ne illud quidem iudicandum est, aliquid iram ad magnitudinem animi conferre. Non est enim illa magnitudo, tumior est: nec corporibus copiâ vitiosi humoris intensis, morbus incrementum est, sed pestilens abundantia. Omnes quos vecors animus supra cogitationes extollit humanas, altum quidem & sublimè spirare se credunt: ceterum nihil solidi subest, sed in ruinam prona sunt, quæ sine fundamentis creuere. Non habet ira cui insilat, non ex firmo mansuroque oritur, sed ventosa & inanis est: tantumque abest à magnitudine animi, quantum à fortitudine audacta, à fiduciâ insolentia, ab austeritate <sup>180</sup> tristitia, à seueritate crudelitas. Multum, inquam, interest inter sublimem animum, & superbum. Iracundia nihil amplum decorumque molitur. Contrâ, mihi videtur <sup>181</sup> veterinosi & infelicis animi, imbecillitatis sibi conscij, sæpe indolescere. Vt exulcerata & agra corpora ad icibus leuissimos gemunt, ita muliebre maximè & puerile vitium est. At incidit & in viros, nam viris quoque puerilia ac muliebria ingentia sunt. Quid ergo? non aliquæ voces ab iratis emittuntur, quæ magno emissa videantur animo, veram ignorantibus magnitudinem? qualis illa dira & abominanda: *Oderint, dum metuant.* <sup>182</sup> Sullano scias sæculo scriptam. Nescio verum sibi peius optauerit, vt odio esset, an vt timori. *Oderint.* Occurrit illi futurum, vt execrentur, insidientur, opprimant. Quid adicit? Dij illi malefaciant, adeo reperit dignum odio remedium. *Oderint.* Quid? dum pareant? non. dum probent? non. Quid ergo? *dum timeant.* Sic <sup>183</sup> nec amari quidem vellem. Magno hoc dictum spiritu putas? falleris, nec enim magnitudo ista est, sed immanitas. Non est quod credas irascentium verbis: quorum strepitus magni, minaces sunt, intus mens pauidissima. Non est quod existimes verum esse, quod apud disertissimum virum Lium dicitur, *Vir ingenij magni* <sup>184</sup> *magis quam boni.* Non potest illud separari: aut magnum & bonum erit,

*Quidam amen libri, malo afficiet: quod esset, pæna & damno, Comitorum sermone.*

177. IN OMNI.] E Platone hæc sumpta, IX. De Legib. Οὐ γὰρ ἐπι κακῶ δὴν γίγνεται ἀδικία, γίγνεται κατὰ νόμον. δούσιν δὲ θάτερον ἀπέργαζεται ἔξω δὸν ἢ γὰρ βελτίονα, ἢ μοχθρότερον ἢ τον ἐξυργάσατο τὸν τὴν δίκην παραχρόντα: Non enim mali inferendi causâ supplicium vllum est, quod leges quidem instituerunt, sed è duobus alterum efficit, vel meliorem, vel minus prauum eum, qui pœnas dedit. Adit & de morte deinde, in desperatis & insanabilibus: δίκην δὲ τῶν τοῦ θανάτου, ἢ ἀχρῶτον τῶν κακῶν: Pœna talibus mors esto, minimum malorum.

178. VT PLATO AIT.] Ipsa hæc verba & sententiam Laetantius usurpat, De irâ Dei, cap. XVIII. Adspicit autem certo ad Platonis hunc locum, è libro XI. De Legib. Δίκην δὲ ἕκαστος ἐκαστῶ τῶ κακουργήματι σωφρονιστικός ἕνεκα ἐπιτιμωμένην προσέτισται. & paullo post: ἕχ ἕνεκα τοῦ κακουργῆσαι δὲ ἰδὲς τὴν δίκην (ἢ γὰρ τὸ γρηγορὸς ἀρχητὸν ἐστὶ σωτὴ) τοῦ δὲ εἰς τὸν αὐθις ἕνεκα χρόνον ἢ τὸ παρασκευάσαι μισῶσαι τὴν ἀδικίαν αὐτῶν τε, τοὺς ἰδόντας αὐτῶν δεικνύμενος, ἢ λωπῆσαι μέρη πολλὰ τῆς τοιαύτης ἐπιτιμῶρας. Pœnam cuique maleficio, quisque luat, & sciat emendationis gratiâ adherere. Et mox: Non enim perpetrati mali causâ pœnas dat (quippe factum in-

factum nequitiam reddetur: sed vt in futurum tempus & illeipse qui deliquit, & ij qui pœnas dantei spectarunt, in totum iniustitiam odent, aut certe leuentur minuanturque mali huius partes. Hæc Seneca in mente habere, verba consequentia docent, Reuocari enim praterita non possunt: quæ ipsa hic in Platone.

179. NON TANTVM.] Fortasse, Non tam. 180. TRISTITIA.] Sic appellat tetricum illud & asperum in vultu gestuque. Vide Nonium.

181. VETERNOSI.] Aliàs, ventosi: sed illud fideliores libri habent. Veterinosi igitur, victi, vetustate aut veterino egri. De ipsâ re, vide lib. II. cap. XIX.

182. SULLANO SÆC.] A quo autem scriptam? Cicero aliquoties ipsa verba citat, auctorem non laudat. Videt qui Ennio tribueret: sed sanè vetustior ille sæculo Sullano. Puto Atij esse, qui sub hoc ennum vixit, & Atreum Tragediam dedit. Ab eo autem hæc pronunciata; Cicero ostendit 1. De Offic. Vt si Eacus aut Minos dicerent, Oderint dum metuant, indecorum videretur, quod eos fuisse iustos accepimus: at Atreo dicente, plausus excitantur.

183. NEC AMARI.] Cum metu comite.

184. MAGIS.] Ea vocula scripto meo abest. & certum, veteres sepe omisisse, & intellectam voluisse. In nostro Seneca vel viginii exempla.

A aut nec magnum. quia magnitudinem animi inconcussam intelligo, & introrsus solidam, ab imo parem firmamque: qualis inesse malis ingeniis non potest. Terribilia enim esse, & tumultuosa, & exitiosa possunt: magnitudinem quidem, cuius firmamentum roburque bonitas est, non habebunt. ceterum sermone, conatu, & omni extrâ paratu facient magnitudinis fidem. Eloquentur aliquid, quod tu magni putes: sicut C. Cæsar. qui iratus cælo quoddam<sup>185</sup> obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosius quàm spectabat, quodq; <sup>186</sup> comessario sua fulminibus terreretur, profus<sup>187</sup> parum certis: <sup>188</sup> ad pugnam vocavit Iouem, & quidem sine <sup>189</sup> missione, Homericum illum exclamans verbum:

ἢ μὲ ἀνάειπ', ἢ ἐγὼ σε.

Quanta dementia fuit? putavit, aut sibi noceri ne à Ioue quidem posse, aut se nocere etiam Ioui posse. Non puto parum momenti hanc eius vocem ad incitandum coniuratorum animos addidisse. vltimæ enim patientiæ visum est, eum ferre, qui Iouem non ferret. Nihil ergo in ira, ne cum videtur quidem vehemens, deos hominesque despiciens, magnum, nihil nobile est: aut si videtur alicui magnum animum ira producere, videatur & luxuria. Ebores<sup>190</sup> sustineri vult, purpurâ vestiri, <sup>191</sup> auro tegi, terras <sup>192</sup> transferre, maria <sup>193</sup> concludere, flumina <sup>194</sup> præcipitare, nemora <sup>195</sup> suspendere. Videatur & avaritia magni animi. aceruis auri argentiq; incubat, & <sup>196</sup> provinciarum nominibus agros colit, & sub singulis villicis latiores habet fines, quàm quos consules sortiebantur. Videatur & libido magni animi. transnatat freta, puerorum greges castrat, <sup>197</sup> sub gladium mariti venit vxor, morte contemptâ. Videatur & ambitio magni animi. non est contenta honoribus annuis: si fieri potest, <sup>198</sup> vno nomine occupare fastos vult, per omnem orbem <sup>199</sup> titulos disponere. Omnia ista non refert, in quantum procedant, extendantque se: angusta sunt, misera, depressa. Sola sublimis & excelsa virtus est: nec quicquam magnum est, nisi quod simul & placidum.

- C 185. OBSTREPERET.] Tonaret.  
 186. COMESSATIO.] *Haud muto, suggero tamen, nec male Commissio lectum iri. Nam de spectaculis & Pantomimis agitur: ac sepe ista vox in alteram mutauit.*  
 187. PARVM CERTIS.] *Quia ipsum illud scelerum caput non tangerent.*  
 188. AD PUGNAM.] *Dio Cassius scribit, cum machinam excogitasse, quâ tonitribus obstreperet, ac contra fulmina fulminaret: ac quoties ea decidissent, lapidem vicissim eiaculabatur, & in calum emittebat, cum voce, que hic sequitur.*  
 189. MISSIONE.] *Ita aly: & Muretus ad gladiatores refert, quasi vellet pugnam hanc non habere missionem: id est, vt alter eorum caderet. Acute. & omnino firmat ipse Homericus versus, Tolle me, aut ego te: quanquam aliâ paullo sententiâ pronuntiatur ab Aiace ad Vlysem, Iliad. 4. versu 724. Vide. Meus tamen codex, sine omissione: rectè, si refert ad vocem ipsam dictumq; assidue iteratum.*  
 190. SUSTINERI.] *In lectis, sellis, vehiculis, & in pavimento tali?*  
 191. AVRO TEGI.] *In lacunaribus, atque etiam lectis.*

192. TRANSFERRE.] *Emontibus plana, & planis montes facere. Item, vbi terra fuerant, aucetis iis translatisq;, maria inducere.*  
 193. CONCLVDERE.] *Ad piscinas.*  
 194. PRÆCIPITARE.] *Alibi sistere, & ex alto dein demittere, vt strepitum murmurq;, gratum redderent.*  
 195. SVSPENDERE.] *In adium lectis: vbi iam viridaria disponebant. Vide Epist. CXXII.*  
 196. PROVINCIARVM.] *Id est, agros tam latos finesq; habet, vt prædia eius, provincie sint. Vel ita variè sparsos, vt prouinciatim possideat; & nominibus ita Prouinciarum, Villas suas distinguat. Nam sequitur de latis finibus, sub singulis Villicis. Vide Admiranda nostra lib. II. cap. xv.*  
 197. SVB GLAD.] *Ita insanit libidine vxor, vt mariti gladium contemnat, & excipiat depressa.*  
 198. VNO NOMINE.] *Vt singulis annis Consulatus aut magistratus gerat, nec locum alius relinquat. Plinius, de Domitiano: Qui continuis Consulatus fecerat longum quendam & sine discrimine annum.*  
 199. TITVLOS.] *Statuas, inscriptionesq;.*